

Corpora autem dormiunt in terra, donec in extremo die euigilabunt, atque resurgent.

31. ET DIXIT IOSEPH. Pro-mittit Ioseph, & iuramento confirmat patri, quod petebat. Res enim erat licita, pia, & possibilis. Cur Iacob filio iurandum defert? an quia iniurato fidem non habet? Minime: Sed 1. vt rem agi seriam, & maximi momenti intelligant: proinde fidem suam de ea tanto fortius ipse testetur, ipsosque ad reditus spem nunquam deponendam B firmiter obliget. 2. vt Iosephum apud Regem & Aegyptios inuidia liberet. Translatio enim habitura erat contemptus speciem, quasi Aegyptus ad sepulturam indignior haberetur Israelitis, quam ad vitam.

ET INCVRVAVIT SE ISRAEL AD CAPVT LECTI. Clausula hæc vult, Iacobum, quod voti compos factus, de sepultura cum patribus certus iam esset, reuerenter gratias egisse Deo & Iosepho: adhibito gestu corporis externo, quali tunc potuit. Aeger iacebat

in lectulo. Ergo capite inclinato ad caput lectuli animum gratum ostendit, adorans Deum religioso cultu: sic Vetus: Adorauit Deum. Potest etiam ad Iosephum referri adoratio, sed ciuilliter tantum, & reuerentiæ ergo. Hebraice est *רושח המיתח* *rosch hammittah*. Caput lectuli. Sic & Onkelos. LXX. *ἐν τῷ ἄκρον τῆς παλῶς αὐτοῦ*. Græci & Latini se torquent de hac virga, an adorauerit baculum, hoc est, sceptrum Iosephi: an adorauerit baculo innixus, vt solent senes & ægri. Sed Hebræa plana sunt, Adorauit in capite lectuli reclinatus. Diuersitas est ex vocis similitudine, quia iisdem literis, sed diuersis punctis *רוש mittah* est lectus: & *רוש matteh* virga. Videntur LXX. vti esse exemplari non punctato. Apostolus Hebr. II. vers. 21. retinet lectionem Græcam. Parum enim interest, ad caput lecti vel baculi adorauerit: modo facesat commentum monachorum, adorasse imaginunculam in sceptro Iosephi exsculptam. Hieronymus refutat adorationem sceptri Iosephi Quæstionibus Hebr. in Gen.

Aug. q. 162.

## CAPITIS XLVIII.

### Argumentum, Vsus, Partitio, Analysis.

Ioseph cum duobus filiis Manasse & Ephraim inuisit patrem agrum & morti vicinum: qui nepotes in filios adoptat, eisq; cum præclara fidei suæ confessione manibus decussatim impositis benedicens prophético spiritu minorem maiori anteposit: tandem pro præclaris in se meritis agrum Sichemitarum donat. Ioseph præbebit nobis exemplum reuerentiæ filialis erga parentes infirmos & debiles: Iacob docebit, etiam sanctos languoribus & morbis ad mortem preparari: & fiduciam diuinarum promissionum ne in morte quidem deponere: sed tunc maxime contra spem sub spe credere, ac plene persuasum habere, Deum, quod promisit, posse etiam facere. Denique parentum fidelium curam ante mortem hanc esse, non vt diuitias liberis cumulent, sed vt liberos promissionis diuina heredes faciant, eisq; Dei benedictionem relinquunt.

Partes capituli sunt tres.

1. De adoptione filiorum Iosephi, vsque ad vers. 8.
2. De benedictione eorundem, vsque ad vers. 21.
3. De donatione Iosepho facta à patre, vers. 21. 22.

In prima parte:

1. Aegritudo Iacobi, vers. 1.